

71  
tur fuisse mitiori: se sponte deditibus: seu etiam q̄ extimuerit aru  
spicum responsa: Tanta profecto conuersio a concitata rabie: ad se  
datam animi tranquillitatem: non mihi sine diuino numine facta ui  
deri potest. Vt quum susceptum tam longinquum tantisq; cum  
laboribus copiisq; & impensis iter ad finem peruenisset: Iam Iamq;  
concupito frueretur uoto: ceteris siue neglectis siue dimissis Suisq;  
inconsultis & pene inuitis spreta tam opulenta præda: Domum in  
fecta re: ad quam uenerat: remigraret. Cessit igitur iterum in pan  
nonias: ubi nouis adolescentulæ nuptiis celebrandis totus intentus:  
Dum cibo uinoq; intemperantius utitur: subita morte extinctus  
est. Concursum deinde omnium facto maximis honoribus de gen  
tis more est elatus. Nobilissimus quisq; pheretrum eius inaurato  
folio eminentius constitutum funebre carmen adequitantes precine  
bant. Hic est Maximus Hunnorum Rex Athila patre genitus  
Mandulco: fortissimarum gentium: fortissimus ipse dominator.  
Qui inaudita ante se potentia Scythica & Germanica regna solus  
subegit. Nec minus utriusq; Romani imperii uiribus: ciuitatibus  
q; proculcatis in extremum terrorem adduxit. Seruitutem illis:  
exitiumq; remisit. Vectigali contentus: Summo eorum pontifice  
deprecante. Dum hæc omnia felicissimo prouentu gerit: non uul  
nere hostium: non fraude suorum: sed gente incolumi inter gaudia  
letus sine sensu doloris occubuit. Posteaq; Hunni condidere: diem  
secundum epulis & omni letitiæ genere peregerunt. Hæc omnia a  
iordane scripta accepisse dicit Cælius. Post Athilæ ab Italia disces  
sum: Venetiæ populi: quum liberum iam esset consilium capien  
di sedes: pars redire ad ruinas excitandas: Emigrauere alii in ali  
as terras. Nonnulli autem quibus securitas magis placeret præ  
gustata, illius dulcedine: & assuescere incipientes locorum apricitati:  
suspensis adhuc erant animis quid agerent. Ceperunt autem præter  
alia minora loca ut diximus quindecim: sex littorea Gradum Capru  
las: Equilum: Methamaucum: Albiolam: Pelestrinam: Nouem uero  
insularia. Turricellum: Maiurbium: Boreanum: Amianum: Constan  
tium: Amorianum: Riualtum: Oliuolum: Clodiam. Minorum in  
sularum: hæc fuisse nomina accepimus: Castratia Marcelliana: Ca  
strumputium: Centenaria: Muffiones: Vigilia: Barbaria: Brintille:  
Baybæ: caput aggeris: Singulorū igitur locorū catus: Vt tali tantaq;  
in re fuit necesse: consilia quotidie agitabant pro se quisq;: & inuicem  
interdum. Quin hinc uiderent locorum situm: quem nuper essent  
experti ab hoste tam immani inexpugnabilem: uiderent præterea quã